



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Enarratio Epistolæ Prioris Ad Timothevm, Et Dvorvm Capitum secundæ**

**Melanchthon, Philipp**

**Vitebergæ, 1561**

**VD16 M 3167**

Ecclesia Dei viuentis columna & sedes veritatis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36308**

TIMOTH: CAP. III. 44

Ac satis apparet Paulum non solum Euangelij præconem excellentem esse, Sed etiam politicum monitorem. Nominat uirtutes non tantum priuatas, ut temperantiam, Sed etiam politicas in gubernatione necessarias, ut ne Episcopus sit percussor. Hic discernit ministerium Euangelij à magistratu politico, qui mandatum habet suo ordine puniendi ui corporali, ut alibi sæpe dictum est.

Iubet item ne sit rixator, id est, ne certamina moueat non necessaria, imò uideat etiam ubi asperitas lenienda sit  $\epsilon\pi\epsilon\iota\kappa\epsilon\iota\alpha$ , toleret in infirmis & sanabilibus aliqua incommoda, Sapienter ferat aliquas iniurias, ne crescant dissidia inflammata mutuis certaminibus. Hac de re sapientissime præceptum est, multos magnos morbos curari abstinentia & quiete.

Hec politica præcepta nondum intelligit ætas minor, Sed tamen harum uirtutum nomina utcumq; agnoscere & flectere se ad moderationem discant. Alij grandiores sciant hanc considerationem ad se pertinere, ut uideant ubi necesse sit pugnare, ubi non necesse sit.

*Ecclesia Dei uiuentis columna & sedes veritatis.*

G 4 Hic

I. EPISTOLA AD

**H**IC inserit Ecclesie descriptionem & magno animi motu in hac ipsa commemoratione accenditur, ac celebrat magnitudinem bonitatis Dei, qui mirando consilio misit Filium, & colligit aeternam Ecclesiam uoce Euangelij, & in genere humano inter Diabolorum furores, inter regum & impiorum tumultus, inter imperiorum ruinas semper Ecclesie reliquias seruat. Hac perpetuitas Ecclesie est illustre testimoniū presentie Dei & ueritatis doctrina.

Primum autem nota sit definitio Ecclesie, quam rectè constitutam tenere propter multas causas necessarium est. Multi enim nominant Ecclesiam simpliciter regnum pontificiū, ut Cephas nominabat Ecclesiam agmen cum ipso coniunctum, erroribus, sacrificijs, officijs & traditionibus. Alij omnino remouentes externam speciem, loquuntur de Ecclesia inuisibili tanquam de idea Platonica, quæ nusquam cernitur aut auditur. Et propterea uagantur & multam congregationis ciues esse uolunt: Hæc imaginatio etiam reprehendenda est. Etsi enim plerumque regna pontificia magna sunt, & obscurant ueram Ecclesiam, & ualde exiguus numerus est rectè inuocantium, ut tempore Zacharie magnam erat regnum Phariseorum & Sadduceorum, tamen semper aliquis uisibilis cœtus est aliis mat-

aliis minor, qui est custos fundamenti, hic cœtus querendus est, Et ad hunc pij ubicunq; sunt adiungere se debent sua confessione & simili inuocatione. Sit igitur hæc definitio.

Ecclesia in hac uita est cœtus uisibilis, amplectentium Euangelium, & rectè utentium Sacramentis, in quo cœtu Deus est efficax per ministerium & multos ad uitam æternam sanctificat, Multi tamen in eodem cœtu sunt qui non sunt sancti, Sed tamen de uera doctrina in externa professione cum sanctis consentiunt. Vt Maria tempore erant Ecclesia uisibilis, Zacharias, Simeon, Ioseph, Maria, Elizabeth, Anna, & alij multi. Horum doctrinam audientes & cum eis sentientes, & eadem inuocatione Deum colentes, Quorum alij plus, alij minus lucis habebant.

Talis cœtus etsi non tenet regnum, sed passim multi sparsi sunt, Tamen conspicitur & auditur. Vult enim Deus in genere humano agnosci filium, Sicut inquit ad omnes gentes. Psalmo 2. Osculamini filium, ideo uult Ecclesiam & conspicere & exaudiri sonantem Euangelium de filio, Sicut scriptum est Psalmo 18. In omnem terram exiuit sonus eorum.

Sæpe autem horribiliter oppressa & obscurata est regnis idolatricis, ut Esaiæ 1. dicitur, Nisi

I. EPISTOLA AD

Dominus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus. Et Matth: 24. Nisi abbreviati essent hi dies, omnis caro periisset, Et tamen reliquia supersunt & subinde instauratur Ecclesia, ut Esaiæ 46. dicitur, Etiam in senecta gestabo te &c. Et Esaiæ 59. Hoc est fœdus meum cum eis dicit Dominus, Spiritus meus, qui est in te, & uerba mea quæ posui in ore tuo non recedent ab ore tuo & ab ore seminis tui in sempiternum, item, Matth: 28. Ego uobiscum sum usq; ad consummationem seculi. Et in Symbolo quotidie hoc profitemur, Credo esse Ecclesiam sanctam Catholicam, Credo igitur promissiones Ecclesie traditas firmas esse, Credo me exaudiri & recipi iuxta illas promissiones.

Ac magna consolatio est, quod semper in cœtu uocatorum sunt aliqui electi, Quia cœtus semper sit aliquis numerus electorum, & non nisi inter uocatos, ut Paulus inquit Roman: 8. Quos elegit hos & uocauit, Sciamus non alibi querendos esse electos extra cœtum uocatorum, & libenter nos ad hunc cœtum aggregemus, illud dictum est, In hoc cœtu Deum efficacem esse per ministerium, ibi enim conuertuntur electi.

Sed in hac uita manet hæc dissimilitudo, quod mixti sunt electis in externa societate, aliqui enim electi

electi & Hypocrite, qui non sanctificantur, ut  
 Matth: 13. De bonis & malis piscibus dicitur,  
 Remouenda sunt igitur Anabaptistarum somnia,  
 qui Ecclesiam constituere uolebant, in qua tan-  
 tum sancti essent.

Et quia de uisibili coetu loquimur externa si-  
 gna consideranda sunt, uidelicet puritas doctrine,  
 & legitimus usus Sacramentorum. Interdum  
 autem & externa miracula Deus addit.

Esi autem loquimur de uisibili Ecclesia, Ta-  
 men remouenda est imaginatio & κακοζυγία  
 quæ transformat Ecclesiam in regnum politicum  
 seu mundanum, cuius propria hæc sunt, Leges de  
 forma gubernationis in moribus, iudicijs, & cer-  
 tis ritibus, ordine personarum, Locorum, Rex ui-  
 sibilis, & præsidia necessaria ad defensionem re-  
 gis, legum, iudiciorum, & populi, Et rex habet  
 potestatem leges aliquas condendi, & ambiguas  
 interpretandi. Et ualet interpretatio propter  
 regiam auctoritatem.

Vt in regno Gallico sunt leges in aliquibus  
 circumstantijs dissimiles ab aliarum politiarum  
 legibus, Et iudicia constituta sunt certis personis  
 & locis, Nec licet Gallicas controuersias referre  
 ad iudicia aliorum regnorum. Est & rex uisi-  
 bilis, & hic munitus est necessarijs præsijs, &  
 habet potestatem interpretandi leges, & conden-  
 di aliquas

I. EPISTOLA AD

di aliquas nouas. Tale est & regnum pontificum  
Romani. Tale fuit & regnum impiorum ponti-  
ficum in Israel. Talia regna in Ecclesia multa  
omnibus temporibus somniarunt.

Sed discamus fugiendas esse has imaginatio-  
nes, & Ecclesiam etsi uisibilis est, tamen dissi-  
milem esse imperijs politicis, Et regna illa pon-  
tificia significata sunt, quando filius Dei uoluit  
est purpura, & laceratus corona spinea, Sic con-  
tumelia afficiunt filium Dei pontifices, & scri-  
ptores, qui Ecclesiam in tale regnum transfor-  
mant, Vbi sine mandato Dei & Leges, & cultus  
instituuntur, de priuatis Missis, de coelibatu, &  
alijs superstitionibus, Et expressè damnantur  
homines, qui hos ritus non seruant, Et presertim  
Romanus Episcopus tanquam rex armatus potestate  
condendi nouas leges, & nouos cultus, &  
potestate interpretationis, & munitus suis  
regum exercitibus.

Sciamus igitur externam speciem Ecclesie  
dissimilem esse imperijs politicis, Et si aliquo modo  
similis est pie schole, Et tamen uerum est  
narchiam seu regnum in hoc uisibili coetu  
inuisibiliter, ita scilicet, Quia filius Dei in  
coetu uerissimè adest, Et uerè est rex & caput  
credentium, quos regit suo uerbo & Spiritu  
cto, & adiungit aeterno patri, Sicut Ephe-  
scripsit

scriptum est, Omnia subiecit sub pedes eius, & ipsum dedit caput super omnia Ecclesie, quæ est corpus eius, congregatio integra perficientis omnia in omnibus. Sic dicit ipse Matth: 18. Ego in medio eorum sum. Item Ioan: 17. Ego in eis. Psal: 2. Ego autem constituo regem meum super montem Zion.

Externa uerò species ministrorum Euangelij & auditorum est aliquo modo similis Aristocratie, Sed alligata Euangelio, & sine potestate politica & sine præsidij corporalibus, ut Osee 1. Non in arcu & gladio, sed in Domino Deo suo saluabo eos, &c. Item in Zacharia capite 4. Non in exercitu, non in robore, sed in Spiritu meo &c. Nec imaginandum est inclusam esse Ecclesiam in unius regni politiam, sicut scriptum est Matth: 24. Ecce hic est, ecce illic est. Sed membra ueræ Ecclesie in diuersa loca sparsa sunt, & alicubi Deus præbet hospitia publica congregationi & ueræ doctrinæ studijs, aliàs magis aliàs minus commoda.

Valde autem offendit oculos sapientum hæc deformis species, quæ uidetur esse ἀναρχία & dissipatio, nec uidetur diuinitus consociari & custodiri, quòd tam uariè laceratum est, sine uisibili capite, sine certa sede, sine ordine. Cum igitur sapientes ab hac specie abhorreant, concurrunt ad

ad



I. EPISTOLA AD  
ad defensionem ordinariæ potestatis, ut nominat.  
Et magna certamina ex hac iudicij dissimilitudi-  
ne oriuntur.

Hæc de specie externa Ecclesiæ considerare  
neceffe est, Ne deformitate dissipationis deterri-  
amur à ueritate, Sed regulam teneamus, Si qui  
aliud Euangelium docet, anathema sit. Postquam  
diximus, quæ & ubi sit uera Ecclesiæ, & quæ  
sit eius species, sequuntur iam hæc quæstiones.

An in ea sit ueritas semper sine erroribus.  
Secunda, qualis sit potestas ministrorum.  
Tertia, Quæ sit autoritas in iudicando  
in interpretatione.

## DE PRIMA QUÆSTIONE.

*An semper sit in Ecclesia ueritas sine erroribus?*

**R**espondeo hæc propositiones, Ecclesiæ  
erat, item Ecclesiæ est columna & sedes  
ritatis, sunt Synecdochæ, Et alia de alijs con-  
gationibus intelligitur, & loquuntur de di-  
generibus errorum.

Sæpe est magna multitudo, quæ titulum  
bet Ecclesiæ, quæ tamen non est uera Ecclesiæ.